

Q. D. B. V.

ILLUSTREM CAPITANEUM.

b. e.

GENEROSISSIMUM AC STRENUISSIMUM

DN: WOLFF-AL-

BRECHTUM à Löben/

TOPARCHAM IN Schönberg/ Ober-Nieder-

Halbendorff/ Nieder Kupper ET Kreischau/ SERENISSIMI

SAXONIÆ ELECTORIS CONSILIARIVM AC CVBI-

CULARIVM COMITEM, HACTENUS IN DISTRICTU GORLI-

CENSI SENIOREM PROVINCIALEM, NUNC

CAPITANEUM

DUCATUI GOR-

LICENSI

GRATULATUR,

SIMULQ;

INCLYTÆ HUIC VICINIÆ

DEBITAM SUAM OBSERVANTIAM

TESTATUR

CHRISTIANVS Weise/ GYMNASII ZIT-

TAVIENSIS R ECTOR.



M DC LXXIX.

Z I T T A V I Æ,

TYPIS MICHAELIS HARTMANNI



Ita non latet Virtus,
Ac facilius ab Igne removeris splendorem,
quam à Virtute publicum gloriæ testimonium.
Imo ne latibulis quidem delectatur
quæ illustrandis hominum cœtibus est destinata.
Obscuras animas capit solitudo,
neq; dulce est sibi vivere,
nisi cum aliis vivere aut nolumus aut non possumus.
Cur quietem optet, cui Labor pabulum est?
Cur in negotiis langveat, cui publicum commodum medicina est?
Cur majora sibi imponi non patiatur,
Qui ad maxima se natum deprehendit?
Tum sanè subsistere cupient illustria capita,
Cum viderint a motu abstinere stellas.
Nempe quod in Firmamento Stellæ,
id in Rep. Proceres,
qui Solis h. e. Principis radio conspicui
primam, secundam, vel tertiam referunt magnitudinem.
Quid? tum sine fructu crescent ingenia meliora,
cum in Anni circulo non apparebit autumnus:
quippe tot in horto Reip. spectantur arbores,
quot furculos Serenissima dextra plantatos
in altum videmus excrefcere.
Et ô felicem Lusatiam!
O felicissimum Viciniæ nostræ districtum!
cui fidus Autumnale fecundissimam Plantam ostendit.
Imo cui LOEBENIUS
antea sideris illustri omine notus,
nunc ita acceptus fuit CAPITANEUS,
ut splendorem simul & fructum,
tanquam certissima Virtutis documenta suis indulgeret.
Poterat is deprecari molem.
Qui fortunæ jam debebat incrementa privata:
Imo qui invigilare non poterat publicis,
nisi circumspèctum suum oculum subtraheret fortunis domesticis.
Interim faustam credidit jacturam,
quæ avertendis multorum jacturis susciperetur.

PRIN-

PRINCIPI ac **PATRIÆ** se natum confessus,
 tum se judicat beatissimum,
 cum meritis & officiis appellatur dives:
 sibi futurus pauperrimus,
Si benemerendi voluntas nullam agendi inveniret facultatem.
 Magna tanè vis Nobilitatis est,
Cum eandem, velut Aurea clave, auxerit
 Eruditio & Experientia;
Januam vero aperiant communia Faventium suffragia.
 O gratulemur nobis de Literarum Studiis,
 postquam illarum amore exardescunt Nobiles:
 non sine omine,
 tot exemplis invitatos Juvenes
 aut æquè eruditam, aut si Deus subinde indulserit meliora,
 eruditioem promissuros Posteritatem.
Faxit saltem Deus, ne qui Autumno datus est,
 subito ingruentem sentiat hiemem:
 sed vernis semper successibus
 florentem animi corporisq; vigorem ad negotia afferat.
 Ita si quos ego docendos habuero Nobiles,
 non à Libris, hoc est à mutis Magistris,
 sed ab hoc **EXEMPLE**, tanquam à Libro vivo,
 capere jubebo Virtutum vivendiq; præcepta.
 Adspirabunt ad solidiorem doctrinam,
 ac ea respicient, quæ magis inserviant Vitæ quam Scholæ:
 ita enim educatum audient hunc **CAPITANEUM**.
 Prodire conabuntur in Lucem,
 ac domesticis studiis probè tincti,
 ab aliis Gentibus non minus prudentiam discent,
 quam prudentiæ amœnissimam Comitem Affabilitatem:
 Ita enim profecisse audient **LOEBENIUM**.
 Gaudebunt de Negotiis,
 Fructusq; alibi ubertim collectos
 libenter effundent in sinus publicos:
semper enim prodesse intelligent **GENEROSUM** hunc animum.
 Quid multis?
 Tum sibi aliquid deesse conquerentur,
 si tantum Virum non expresserint;
 Ac singularem in se mendam observabunt,
 si ubi mores ab Ejus regula discesserint.

Ha-

Habeat igitur VIR ILLUSTRIS
meo etiam nomine grates extantiores,
qui nunquam feliciorum juventutis curam videor aggressurus,
quam ubi suis actionibus me admonuerit,
qualibus ingeniis Patria velit impleri.
Utinam ultra hos gratitudinis limites progredi me
pateretur tenuitas!

Satis interim observantiae,
satis propensi ad serviendum animi
fuerit declaratum,
si publico nunc voto me obstrinxerim,
nullos in Schola mea versari Nobiles,
quos ego non optem LOEBENIO simillimos,
nullos informari e statu Civium Filios,
quos ego non cupiam Ejus Admiratores.
Contribuam ego Laudem & Admirationem,
illi Credulitatem & Imitationem,
Deus dabit incrementum.

Sic habuerit LOEBENIUS
non Filios modo Paternae gloriae participes,
sed omnes quasi Filios agnoscat,
quos virtutibus suis Saluti publicae generatos
amplectetur.

Et hoc demum est inter Mortales
adipisci Immortalitatem.

